

... fidem Falcidio, qui per luxuriam consumto patrimonio litteras calumniose compositas de avaritia Flacci ad matrem suam miserit, ut prodigos mores huiusmodi mendacio coloraret. Facit ergo μετάθεσιν, qua illi ostendat egestatis causam vitio suo accidisse, non huius iniquitate praetoris. 5

§ 92. Magnum erat ei certamen. Iste unus totam Asiam magnitudine poculorum bibendoque superavit.

Χαριέντισμα. [Ἡ] παραπροδοκία. Iucundissime hoc contra opinionem intulit helluonem quendam et summa luxuria 10 perditum volens ostendere, cui hoc unum genus exercitationis et gloriae fuerit conpotores suos ebrietate superare.

§ 94. Videtis, quo in motu temporum, quanta in conversione rerum ac perturbatione versemur.

Κατὰ προκοχὴν. Conmovetur iam peroratio magnitudinem beneficiorum L. Flacci complexa, quae pendent 15 ex consulatu ipso Ciceronis, quo videtur magno usui rei p. fuisse investigata coniuratione Catilinae et deprehensis in ponte Mulvio Allobrogum legatis. Proficiet igitur ad consilium compensativae defensionis, quam vult orator in 20 hac causa non mediocriter valere, ut etsi alicuius suspicionis videatur obnoxius, tamen contemplatione insignium meritorum ab huius damnationis periculo protegendus sit. Praeterea in toto contextu huius epilogi et de <se> ipse Tullius plurimum dicit, quasi per communionem rerum, quas pro patriae 25 salute gesserunt, ambo rei et ambo absolvendi sint.